
8.55.D.4/8

EX SACRA THEOLOGIA ET EX JURE CANONICO SELECTA THEOREMATA

QUÆ

PUBLICE PROPUGNANDA EXPONUNT

CLER. REG. INFIRMORUM MINISTRI.



ROMÆ MDCCLXII.
EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

DE LOCIS THEOLOGICIS.

I. IN Religione, quæ revelata dicitur, quam is unus negabit, qui perditus Atheus ſit, aut Deiſta procax, Sacræ Doctrinæ robur, atque præſtantiam, exhibet nobis, firmatque Revelatio, quæ ipſius Religionis Caput eſt, atque Principium.

II. Divina iſthæc Revelatio, ex utriuſque Teſtamenti libris, præcipue conſtat: Hi autem integri quoad ſubſtantiales, ut ajunt, partes, ſervati continuo ſunt, ſervanturque adhuc in Eccleſia Chriſti. Manichæos hinc refellimus, qui a malo dictatum Principio, Teſtamentum vetus impie traduxere; neque aſſentimur iis, qui liberariores, quam par eſt, erga Auctorem libri 4. Eſdræ, quæ in antiquo Fœdere exarata fuere, in Babylonica deſolatione omnino deperdita, & ab Eſdra ex integro reparata, inerudite prorſus affirmarunt.

III. Utriuſque Fœderis Scriptum Dei Verbum, infallibilis fidei regula nobis eſt; quidquid blateret Spinoſa, cum eoque Deiſtæ omnes: Sacroſque Scriptores ad ſingulas Scripturæ partes, vera inſpiratione donatos fuiſſe arbitramur.

IV. Sapientiſſimo inhærentes Tridentinorum PP. Judicio, libros illos divinos tuemur, atque Canonicos, quos exhibet Canon ab iiſdem concinnatus, Seſſione 4. Cap. 1. Quare Pentateuchus canonicus eſt, & Moſe Auctore conſcriptus, divinæ Auctoritatis ſunt Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Baruch, primus, & ſecundus Machabæorum in Canone Judæorum deſiderati, atque Canonicas tandem agnoſcimus, & autographas Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, unam quoque Jacobi, & Judæ, ſecundam Petri, ſecundam, & tertiam Joannis, atque Apocalypſim.

V. Inter græcas Sacræ Scripturæ Verſiones, ea ſummo ſemper in prætio habita eſt, quam LXX. Interpretes, divino plane Conſilio, non in Cellulis diviſim ſedentes, ſed una ſimul in Baſilica conferentes adorna-

Digitized by Google

narunt. Quod vero ad Latinas tranſlationes pertinet, Vulgatam noſtram cæteris præferendam, poſt Tridentinum Seſ. 4. Cap. 20. concors eſt Catholicorum Sententia; neque tali Decreto, quod per ſummam injuriam, ut barbarum, ſuggillant Novatores, quidquam Hebraicis, Græciſque Fontibus derogavere Tridentini PP.

VI. Eccleſiæ ſolius eſt judicium ferre de vero ſenſu, & Sacrarum Scripturarum interpretatione: Neque privatus ſpiritus, ut Novatoribus arridet, nec Sæcularis Princeps, ut placet Anglicanis, eſſe ullatenus poteſt Controverſiarum fidei Judex.

VII. Scriptum Dei Verbum, etſi in aliquibus clarum, atque perſpicuum; in aliquibus tamen obſcurum eſt, atque involutum; neque per ſe ſufficit, ad omnia plane comprobanda fidei dogmata.

VIII. Quapropter Traditiones, verum, & germanum Dei Verbum profitemur: eæ quippe, ſi legitimæ ſint, atque ſinceræ, certum, ac infallibile faciunt argumentum fidei.

IX. Chriſti Eccleſia, quam Scripturarum Judicem definivimus, cætus hominum eſt, quibus una Chriſtianæ fidei profeſſio, una Sacramentorum communio, ſub regimine legitimorum Paſtorum, præcipue Romani Pontificis, non ex ſolis autem Prædeſtinatis, neque ex Juſtis dumtaxat, ſed ex Reprobis quoque, ac Peccatoribus, quin & ex occultis Hæreticis coaleſcit; extra ipſam vero ſunt Cathecumeni, publicè excommunicati, vere Schiſmatici, notorie Hæretici, licet fundamentalibus Articulis inhærentes.

X. Quibus notis, & characteribus vera Chriſti Eccleſia a falſis Heterodoxorum conventiculis diſcernatur, docet Conſtantinopolitana Synodus hiſce Verbis: *Credo Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*. Quæ cum in una Romana Eccleſia, ſeu quæ Romano Pontifici, tamquam Chriſti Vicario, ſubeſt, deprehendantur, eam unam, veram Chriſti Sponſam, profitemur, & veneramur.

XI. Tribus hiſce proprietatibus Chriſtus Dominus ſuam condecoravit Eccleſiam, ut nempe viſibilis ea ſit, indefectibilis, & infallibilis: quare numquam extincta, ſed ſemper conſpicua; nuſquam defecit, nec deficiet in poſterum; numquam poſtremo, ſive per totum Orbem diſperſa, ſive in Conciliis generalibus a Summo Pontifice approbatis, & confirmatis coacta, ubi proponat, quæ fidem, moreſque reſpiciat, ſubjecta erit errori.

XII. In generalibus Conciliis, jus definitivi Suffragii ferendi Epiſcopis eſt; ac ordinaria œcumenici Concilii cogendi auctoritas, ſoli Romano Pontifici competit, non autem Imperatoribus, & Regi cuicumque; quidquid Novatores obtrectent, & ex Noſtris opponat Joannes Launojus.

VIII. Uni Petro, (qui Romam certo adventavit, & probabilius II. Claudii Imperatoris Anno, ibique ſuam fixiſſe Sedem, tradit Euſebius

bius lib. II. Hiſt. Cap. 13.) A Chriſto conſignatum eſt Eccleſiæ regimen, quod pure, vereque Monarchicum defendimus: quapropter Romanus quoque Pontifex, jure divino, primatum obtinet honoris, & juriſdictionis ſupra reliquos Eccleſiæ Epiſcopos, non ſecus, ac ſupra cæteros Apoſtolos D. Petrus.

DE DEO, EJUSQUE ATTRIBUTIS, DEQUE DIVINARUM PERSONARUM TRINITATE.

I. DEUS eſt; & Unus eſt; Quia evidentèr eſt, nemo ſui compos invincibiliter ignorare poteſt exiſtere: Quia unus eſt, cauſa cedant Marcionitæ, & Manichæi, qui plures Deos invexere. Dei autem nomine intelligitur Ens ſupremum, ac perfectiſſimum, quod nullam ſui Cauſam habet, omnium vero Entium, & Cauſarum Principium eſt; illiuſque natura phyſicè conſiderata, in perfectionum omnium adunatione; metaphyſicè inſpecta, in *Aſſeitate*, ut ſcholæ ajunt, reponitur.

II. Deus Ineffabilis eſt, contra Eunomium, Infinitus, Immutabilis, Immenſus; contra Worſtium, & Socinianos; Æternus, Incomprehenſibilis, adverſus Anomæos; ac demum Simplex contra Antropomorphitas; à quorum errore purgari ſatis haud poteſt Melito Sardenſis; difficulter quidem Tertullianus, facile autem Audius, ac S. Epiphanius.

III. Ad intuitivam Dei viſionem aſſequendam, cujus poſſibilitatem nuſquam denegarunt S. Joannes Chryſoſtomus, Theodoretus, & D. Hieronymus, neceſſarium eſt gloriæ lumen, ex cujus inæqualitate efficienter, moraliter verò a meritorum varietate, inæqualis Dei viſio repetenda eſt.

IV. Juſtorum Animæ, quæ ex hac vita decedentes, ſecum ferant temporaneæ ſatisfactionis pondus, quo exonerari certiſſimè debent, purgatorio igne, qui corporeus eſt, ac materialis, expiantur in altera. Eo autem in ſtatu, certæ quidem de ſua ſalute, mereri, vel demereri nequeunt; juvari tamen poſſunt Eccleſiæ precibus, ac Fidelium ſuffragiis.

V. Animæ vero illæ, quibus nihil luendum ſupereſt, ſtatim ac terrenæ carnis vinculo ſolutæ ſunt, intuitiva Dei viſione perfruuntur; quidquid deliraverit Cerinthus, cum eoque Millenarii omnes, quibus profecto nullatenus adhæſere Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, & Joannes XXII., ſaltem qua univerſalis Eccleſiæ Doctor.

VI. A negativis, ad affirmativa Dei attributa properamus. Sunt autem præcipue expendenda Veracitas, Omnipotentia, Juſtitia, Scientia, & Providentia: Summæ igitur Veracitati tribui nequit mendacium, cujus Auctor Deus nuſquam poterit evinci: Infinitæ Potentiæ repugnat non poſſe facere plura, quæ non facit, imo meliora iis, quæ fecit: divinæque tandem Juſtitiæ maxime convenit, impios ad Inferni pœnas æternum duraturas compingere.

Digitized by Google

VII. Divino Intellectui, in quo omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, cuncta nuda ſunt, & aperta, nihil prorſus ſive bonum, ſive malum, fugit illius ſcientiam, ſcrutaturque ſingulorum hominum corda. Dei autem præſcientia rerum contingentia non læditur.

VIII. Futura libera naturalis Ordinis, ſive abſoluta ſint, ſive conditionata, non videt Deus in prædeterminato Decreto, ſed in ſeipſis, & in creatæ voluntatis determinatione. Futura vero libera abſoluta ſupernaturalis Ordinis, videt quidem in ſuis Decretis, veluti in eorum cauſa; at Decreta iſthæc, conditionatorum ſcientiam, quam admittimus, non antecedunt, ſed ſupponunt.

IX. Primarium Divinæ Voluntatis objectum, ſua ipſius eſſentia eſt; Secundarium vero, ſunt Creaturæ, in quas omnes non otioſa conſpicitur, ſed maxime provida; præcipuum tamen, in homine gubernando, Divinæ Providentiæ negotium verſatur.

X. Nobilior Divinæ Providentiæ pars, Prædeſtinatio eſt, quæ recte dicitur ab Auguſtino lib. de dono Perſev. cap. 19.: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur*. Hanc porro, quæ neceſſitans haud eſt contra Janſenianos, & Calviniſtas tam diſſerte adſtruunt, Scripturæ, & Patres, ut negari non poſſit.

XI. Deus autem non prædeſtinatos dumtaxat, ſed omnes etiam, ac ſingulos homines vult ſalvos fieri, vera quidem interna, ac beneplaciti voluntate; quemadmodum Chriſtus mortuus eſt, ſuumque in Ara Crucis fudit Sanguinem, non pro ſolis prædeſtinatis, verum etiam pro omnibus, & ſingulis hominibus.

XII. Purum, putumque Semi-pelagianorum figmentum haud eſt, Prædeſtinatiana hæreſis; in Adrumeti tamen Monaſterio Auguſtini ætate non emerſit; nec ſub Cœleſtino I. erupit in Galliis; Goteſchalcus autem, etſi Prædeſtinatianus non fuerit, *non ex Chariſmate*, ut Chriſtianus Lupus ait, ſed imprudenter quidem, verum Dogma vindicandum ſuſcepit.

XIII. Firmum, fixumque nobis eſt, contra Pelagianos, & Semipelagianos, Prædeſtinationem ad gloriam non fieri a Deo propter prævisa bona opera, vel ſimpliciter, vel radicaliter tantum naturalia, illiuſque motivum extare pariter haud poſſe, merita etiam ſupernaturalia ſub conditione futura.

XIV. Quamvis Theologi omnes definiant Prædeſtinationem ad gloriam in ordine executivo eſſe dependenter a ſupernaturalibus meritis; multum certe diſſident, ubi ſermo de illa ſit in ordine, ut ajunt, intentivo. Nos hanc quoque a Deo fieri, dependenter a ſupernaturalibus meritis prævisis, abſolute futuris, probabiliter arbitramur.

XV. Poſitiva reprobatio non decernitur a Deo, niſi poſt prævisa finalia peccatorum demerita adverſus Calvinum, alioſque Prædeſtinatianos.

XVI. An

Digitized by Google

XVI. An ex Scripturis Sanctis evidenter conſtet, ac Theologicis rationibus magis congruat, Pueros decedentes abſque Baptiſmatis lavacro, puniendos fore pœna tum damni, tum etiam ſenſus, ſaniorum eſto judicium: Quod hic firmamus eſt, propius nos accedere Auguſtini menti, ſi dicamus, pueros ſic decedentes, utraque pœna plectendos eſſe.

XVII. Divinæ naturæ unitate, ac ſimplicitate, Trinitatem Perſonarum non excludi ex antiquo, novoque Fœdere, explorata res eſt, quidquid effutiant Anti-Trinitarii, ac Tritheitæ omnes. Catholicum hocce Dogma, mire quidem evincitur ex celebri illo verſic. 7. Epiſt. 1. S. Jo. cap. 5. *Tres ſunt &c.* quem aſſutum, non autographum, Eraſmus, atque Simonius temere affirmant; Non teſtimoniis dumtaxat ab utroque Teſtamento petitis in Perſonarum Trinitate adſtruenda, ſed & unanimi Patrum traditione utimur.

XVIII. Verbum Divinum, Filius Dei, verus Deus eſt, Deoque Patri conſubſtantialis: in hujus autem fidei obſequium, mentem ſuam captivarunt Ante-Nicæni PP.; quamobrem immerito Sandius, & Epiſcopius Arianis accenſent S. Ignatium Martyrem, cujus Epiſtolæ VII. ab Uſſerio, & Iſaacho Voſſio editæ, genuinæ ſunt; immerito quoque hac de re carpitur a Socinianis Juſtinus, a Surio Athenagoras, a Jo. Clerico Clemens Alexandrinus, & a Grabio tandem Irenæus.

XIX. Opportune, aptiſſimeque a Nicænis PP. conſecrata eſt adverſus Arianos vox ὁμοούσιον, eaque Symbolo inſerta: ab hac ὁμοούσιον, ſeu conſubſtantialitatis fide non diſceſſit Liberius Pontifex; ſubſcripſit quippe primæ dumtaxat Syrmienſi formulæ contra Photinum editæ; neque Ariminenſes PP. ſubſcribendo formulæ ſibi ab Urſacio, & Valente oblatæ in Arianam perfidiam impegere.

XX. Spiritus Sanctus vera eſt, ac ſubſiſtens Perſona, verus Deus, etiam a Filio procedens: immerito hinc Latinis exprobant Græci, quod additione facta particulæ *Filioque*, Conſtantinopolitanum Symbolum corruperint.

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

I. ABſconditum a ſæculis magnum Pietatis Sacramentum, manifeſtatum fuiſſe in Carne, ubi plenitudo temporis advenit, Prophetarum Oracula de Meſſia in Jeſu Nazareno completa, apertiſſime declarant ejuſdem Miracula, & Martyrum multitudo ipſa, in primævis Chriſtianorum perſequutionibus, Chriſti divinitatem ſatis comprobant: quare articulus de Chriſti Divinitate prioribus Eccleſiæ ſæculis, ad ſalutem creditu, & ſcitu neceſſarius fuit, contra Epiſcopium poſt Socinum.

II. Meſſiam jam adveniſſe, duplex præſertim oſtendit adverſus Judæos antiqui Fœderis oraculum, Jacobi videlicet Gen. 49. & Danielis 9.

In Jacobæo Oraculo, Judæ nomine, peculiarem Tribum deſignari contendimus. In Oraculo autem Danielis Hebdomades recenſitæ annorum ſunt, eaſque auſpicandas opinamur ab anno xx. Regni Artaxerſis Longimani.

III. Quemadmodum Judæis Chriſti adventum non obſcure inſinuat domeſticum illud Joſephi teſtimonium lib. 19. Antiquitatum Judaic. cap.4. cujus fidem, nec quidquam rigidiores Critici elevare poſſunt; ita quoque Gentilibus veritatem hanc, præter alia, luculenter oſtendunt Pilati Acta ad Tyberium miſſa, quæ adverſus Baſnagium genuina tuemur.

IV. Unicam in Chriſto Perſonam confitemur; quare Beata Virgo vere Θεοτόκος eſt, & merito appellatur contra Neſtorium, quem legitime, & canonice damnavere, ſuaque e ſede depulerunt Epheſini Patres; illius tamen hæreſi, nec Joannes Antiochenus adſtipulatus eſt, neque Cyrillus Alexandrinus in ſuis *Anathematiſmis* Neſtorium refellens, in oppoſitum prolapſus eſt Apollinaris errorem.

V. Duæ ſunt in Chriſto Naturæ, duæ etiam Voluntates, & Operationes, ſecus ac blaſphemarunt Eutychiani, & Monothelitæ; in eoque propter unitatem Perſonæ, Idiomatum communicatio ſtabilitur.

VI. Verbum Divinum, non aeream, non phantaſticam, non umbratilem, ſed veram aſſumpſit humanam Carnem, quam non è Cœlo, non aliundè, ſed materna traxit ex carne; ac novo, inauditoque prodigio ex Maria Virgine natum profitemur, quæ ante partum, in partu, & poſt partum, ſemper inviolata permanſit.

VII. Chriſti Corpus, veris doloribus, cæteriſque communibus humanæ Naturæ Infirmitatibus, re quidem vera fuit obnoxium; nec ejuſmodi incorrupticolarum pice inquinatus uſquam eſt S. Hilarius Pictavorum Antiſtes. Præter humanum corpus, non ex diſpenſatione, ſed ex naturali conditione, clavis perforatum, & confoſſum lancea, Divinum Verbum, Animam, humanamque Mentem aſſumpſit. quæ a primo Conceptionis inſtanti, & perfectiſſima rerum omnium ſcientia, & intuitiva Dei viſione donata eſt; non tamen Deum propriè comprehendit.

VIII. Cum pura Creatura, nec pro ſuo, nec pro alieno, ſive læthali peccato, ſive veniali, dignam ſupremo Numini ſatisfactionem exhibere valeat, Chriſtus vere, & proprie divinæ pro nobis juſtitiæ ſatisfecit, illiuſque ſatisfactio, nedum condigna fuit, ſed etiam ſuperabundans.

IX. Humana Chriſti Natura Verbo Divino hypoſtaticè conjuncta, latriæ cultu adoranda eſt. Religioſum autem Duliæ cultum Sanctorum in Cælis una cum Chriſto regnantium, antiquum, laudabilem, atque pium eſſe fatemur; cumque hi una cum Angelis, non tantum pro nobis generatim, ſed & ſpeciatim ad Deum preces fundant, eos invocare quam maxime decet, illorumque invocatio in Chriſti Mediatoris injuriam nullatenus cedit.

X. Sa-

Digitized by Google

X. Sacras Sanctorum Exuvias, quas Reliquias dicimus, ab initio religioſa quidem veneratione proſequi conſuevit Eccleſia; Imaginum vero uſus, atque cultus inter Chriſtianos, pius equidem eſt, ac perutilis, nec recens adeo eſt æſtimandus, quemadmodum illum venditavit Dallæus.

DE DIVINA GRATIA.

I. IN ſtatu integritatis Adam, quem adverſus Iſaacum Peyrerium, totius humanæ naturæ Proto-parentem fuiſſe, Moſaica teſtatur Hiſtoria, a Deo conditus eſt cum originali juſtitia, ſanctitate, ac immortalitate. Hæc autem non fuerunt illi naturalia, & debita, bene vero ſupernaturalia, planeque gratuita, adeo ut condi a Deo alio in ſtatu potuerit: Status hinc puræ naturæ poſſibilis eſt.

II. Adæ peccatum conſequutus eſt ſtatus naturæ lapſæ, in quo nedum ſpoliatus fuit Homo gratuitis donis, ſed etiam vulneratus in naturalibus: Quare ad proſequendum Deum, amore dumtaxat naturali ſuper omnia, ſed effectivo, ſicuti & ad totum legis naturæ opus longiori tempore adimplendum, omneſque ſuperandas tentationes, lapſo homini, naturæ vires non ſufficiunt, ſed neceſſarium ei propugnamus peculiare quoddam Divinæ actualis Gratiæ adjutorium.

III. Per originalem vero noxam, quam ab Adamo in Poſteros propagari ſuadent tum utriuſque fœderis oracula, tum graviora argumentorum genera, imminutas quidem experimur voluntatis vires, non ita tamen ut extinctum in nobis ſit liberum indifferentiæ arbitrium, contra Lutherum, atque Calvinum; neque adeo concidit, ut abſque gratia nonniſi ad peccandum valeamus. Sola enim naturali ſua virtute, quæ tamen generali Dei concurſu muniatur, & aliqua opera moraliter bona exequi, & pluries peccatum declinare poſſe fatemur.

IV. Per ſolas naturæ vires nequit homo ſalutaria quævis opera perficere, ut jactitabant Pelagiani. Quippe, obſignante ſcriptura, & Auguſtino Judice, ſine adjutorio gratiæ, nec velle poteſt opus bonum quodcumque, prout oportet ad æternam ſalutem.

V. Actualem Gratiam aliquando viſus eſt propugnare Pelagius; Sed eam, aut non in Catholico plane ſenſu, aut non velut abſolutè neceſſariam agnovit. Quare de hujuſmodi voluntatis, & actionis gratia præcipua fuit inter Auguſtinum, eumdemque Pelagium controverſia, minime vero de habituali gratia, quam ſenſu licet haud recto, & Catholico admittebat Pelagius: Ita vero de neceſſitate gratiæ Auguſtinus egit, ut hanc nullibi ab intrinſeco efficacem docuerit.

VI. Pelagius Dioſpolitanis PP. impoſuit, Zoſimo Romano Pontifici doloſum ſe præbuit Cœleſtius; ſed nec Dioſpolitani PP. Pelagium abſolventes, nec Zoſimus benigne Cœleſtium excipiens, Pelagii, & Cœleſtii adhæſerunt errori.

VII. Fallitur certe Janſenius, ubi gratiæ efficaciam ſe Auguſtino duce collocare præſumit in victrici delectatione, quæ ſimplicem neceſſitatem inducat.

VIII. Gratiæ donum eſt etiam bona voluntas fidem omnem præcedens, quam profecto, naturalibus dumtaxat viribus neminem ſibi promereri unquam poſſe, defendimus, ſecus ac venditarunt Semi-Pelagiani, re quidem vera negantes interioris gratiæ neceſſitatem ad initium Fidei, & boni operis, quam Catholica docet Eccleſia: quamobrem hæreſis nota ab Apoſtolica Sede lata eſt in quartæ Janſenii propoſitionis ſecundam partem.

IX. Libratis Scripturarum, Sanctorum Eccleſiæ PP., atque rationum momentis, operoſa nobis res eſt definire, num intrinſeca vindicanda ſit efficacia Divinæ Gratiæ, an potius ab extrinſeco repetenda? utrimque ſcopuli, utrimque Ambages, utrimque nodi; Quod ergo ſentimus eſt, non adeo difficilla nobis videri argumenta, quæ militant pro intrinſeca divinæ gratiæ efficacia, ut ab oppoſita opinantium Schola, cui morem gerimus, ſolvi nequeant.

X. Sufficientem gratiam defendimus, eam videlicet, quæ dat veram, completamque potentiam actum bonum ponendi, etiam relative ad præſentem concupiſcentiæ motum, & cui humana voluntas, ſolo ſuo vitio, ſuaque dumtaxat pravitate, reſiſtit.

XI. Turpiter ergo erravit Janſenius, dum putido quidem ore dixit, interiori Dei Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, nuſquam reſiſti, ipſiuſque Dei præcepta, hominibus juſtis, volentibus, & conantibus impoſſibilia extare, iiſque gratiam deeſſe, qua poſſibilia fiant. Urgente ſiquidem præcepto, juſtorum nullus ea privatur gratia, qua illud poſſit implere, ſi velit: Quin omnibus, & ſingulis hominibus infidelibus etiam, atque excæcatis, obduratiſque peccatoribus, Deum ipſum non offerre tantummodo, atque præparare, ſed auxilia quoque proxime, vel remote ſufficientia impertiri volumus, quibus divina præcepta adimpleri, & ad Deum per pœnitentiam converti queant.

XII. Præter actualem gratiam, cujus equidem præcipuus effectus eſt, diſponere ad ſanctificantem gratiam obtinendam, habitualis agnoſcenda eſt, qua Spiritus Sanctus in cordibus noſtris diffunditur. Juſtificantur ergo impii per inhærentem juſtitiam, non per extrinſecam condonationem, ut ajunt Calvinus, Lutherus, Oſiander, putantes in juſtificatione, peccata dumtaxat operiri, non deleri, non auferri; atque eam obtinendam requiritur in adultis, Fides, Spes, & Charitas. Fides autem ad juſtificationem conducens, non eſt ſola fiducia in Lutherano ſenſu explicata, ejuſque objectum eſt id omne, quod a Deo revelatum eſt.

XIII. Quamquam meritum a ſanctificante gratia proficiſcatur, non omnia tamen peccatorum opera, peccata ſunt, & infideles, licet fide ſint

Digitized by Google

ſint deſtituti, aliqua etſi perpauca; præſtant opera, quæ ſi moralem hujuſmodi actionum honeſtatem ſpectemus, commendari debent, nec peccata ſunt nuncupanda.

XIV. Licet homo ſanctificante gratia exornatus, mereatur non ſolum de congruo, ſed etiam de condigno æternam vitam; non tamen meretur, ſaltem de condigno finalem ipſam perſeverantiam, quam certe ipſi etiam Sancti ſuppliciter, humiliterque implorare debent; Ad hujuſmodi enim obtinendum donum, peculiaris quidem gratia requiritur; quemadmodum, & ſpecialiſſimo gratiæ beneficio opus habet homo, ut quamdiu corruptibile corpus induit, omnia collective venialia peccata vitare queat. Eximium autem iſtud gratiæ privilegium, uni Beatiſſimæ Virgini conceſſum exiſtimamus.

EX JURE CANONICO.

I. JUs Canonicum, quod optime definiri poteſt: Collectio Regularum ex Divina Scriptura, SS. Patribus, Conciliis, ac Pontificum Conſtitutionibus deſumptarum, quæ fideles ad finem æternæ beatitudinis dirigunt: continetur in Decretalibus Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clementis V. & extravagantibus Joannis XXII. Hiſce omnibus, quæ jus novum conſtituebant, addendos dicimus Concilii Trid. Canones, ac eorumdem declarationes a Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ejuſdem Concilii Trid. Interpretum; Quibus omnibus veræ legis vim concedendam eſſe ſuſtinemus.

II. Hanc vim legis Decreto Gratiani, utpote publica auctoritate minime confecto, non poſſumus attribuere: nec pariter Decretalibus Epiſtolis Summorum Pontificum ante Siricium editis, quoniam magna ex parte ſuppoſititiæ ſunt. Canones illi vulgo Apoſtolici, falſo Apoſtolis, aut S. Clementi adſcribuntur; editi tamen ſunt ante ſæculum v. ſæculo nempe II. labente, atque ineunte III., aliter ac Dallæo placuit.

III. Dividi ſolet Canonicum jus quatuor in partes, in quarum I. De Conſtitutionibus, in II. De Perſonis, in III. De Rebus, in IV. De Judiciis pertractatur: hac methodo, & noſtras Inſtitutiones tradimus.

DE CONSTITUTIONIBUS.

I. LEx, quam *ab eligendo Latini Auctores appellatam*, dixerunt; teſte Auguſtino quæſt. 20. in Levit. *Præſcriptum aliquod eſt ab eo, qui Communitatis curam habet ad commune bonum directum, & ſubditis intimatum; atque menſura humanorum actuum, per quam ad id, quod rectum eſt, agendum, & ad id, quod pravum eſt, omittendum*

Digitized by Google

dum diriguntur; in Æternam, Naturalem, Divinam, Humanamque dividitur. Æternam cum Aug. lib. 22. cont. Fauſtum cap. 27. definimus quod ſit *ipſa Ratio, vel Voluntas Dei, Ordinem naturalem conſervari jubens, & perturbari vetans*, quæ profecto ſaltem quoad primarum veritatum cognitionem, omnibus nota, aliarum cauſa eſt; eique creata ſingula, tam neceſſaria, quam contingentia ſubjiciuntur.

II. Lex naturalis, quam exiſtere propugnamus, æternæ legis participatio eſt, Rationali Creaturæ per impreſſionem Luminis, & Amoris comunicata, quæ in actu, ut ajunt, ſecundo, deſcribi optime poteſt; *Dictamen Rationis, præſcribens quid agendum ſit, quidve fugiendum conforme, aut difforme ipſi humanæ Naturæ*; Hujuſce vero legis præcepta, omnia quidem ad hæc duo reducuntur: *Proſequendum bonum; Vitandum autem eſt malum*.

III. Naturalis lex (ſi communia, & generaliora Principia ſpectentur, una quidem apud omnes, ſecundum rectitudinem, cognitionemque, minime vero quoad Concluſiones, quæ ex eis deducuntur) per ſubtractionem mutari nequit, nec ulla profecto ſunt hujuſce legis præcepta, quæ divina, vel humana poteſtate diſpenſari valeant.

IV. Lex poſitiva divina, quæ nihil prorſus eſt aliud, quam Decretum Dei, Hominibus modum præſcribens, quo ſupernaturalem Fidem poſſit attingere, ea ſane complectitur, quæ Deus Nobis libere præcipit, prohibetve; dividiturque in veterem, & novam. Lex autem vetus, quæ ſecundum omnes ſui partes Deum habet auctorem, quæque bona fuit, nec pravis conſtituta præceptis, tria mandatorum genera continebat, Moralia nempe, Cœremonialia, & Judicialia. Quantum ad hæc duo poſtrema Judæos tantum, quibus data eſt, obligabat; & in ipſa Chriſti morte totaliter abrogata fuit, & mortua, cum in ſe, tum quoad vim obligandi; neque vero ſtatim, ac mortua fuit, cœpit eſſe mortifera, ſed tunc tantummodo, quando Evangelium in Univerſo Orbe ſufficienter promulgatum extitit. Hinc ſincere quidem, & ex animo, non prudenti quadam ſimulatione Apoſtoli obſervarunt legalia, quemadmodum & omni procul ſimulatione Paulus Cephæ reſtitit intempeſtive ipſamet legalia uſurpanti; Hunc autem Cepham, quem vere, & ex animo reprehendit Paulus ipſummet Apoſtolorum Principem fuiſſe arbitramur.

V. Cum veterem inter, & novam legem hoc interſit diſcrimen, quod illa iſtius myſteria præſignabat, uberrimumque gratiarum fructum pollicebatur; mirum hinc videri non debet, ſi veterem minus perfectam dicamus, comparate ad novam; Hæc enim inter alias ſupra Moſaicam Legem prærogativas, hanc ſibi vindicat, quod ſupernaturalem gratiam adnexam obtineat.

VI. Lex humana, quæ in Eccleſiaſticam, vel Canonicam, atque Civilem dividitur, *Præceptum commune eſt, ſtabile, ac juſtum, ab Hominibus promulgatum, qui vel Politicæ, vel Eccleſiaſticæ Communitatis curam*

Digitized by Google

curam obtinet. Humanæ vero leges tam Eccleſiaſticæ, quam Civiles in interiore conſcientiæ foro obligare utique poſſunt, adeo ut earum tranſgreſſio culpabilis reddatur. Quamvis autem Humanæ Leges internos actus tum per ſe, tum per accidens externis adnexos, præcipere valeant, Eccleſiaſticis tamen legibus actus pure internos præſcribi haud poſſe opinamur.

VII. Quicumque ſuprema civili juriſdictione ſuffulti, ſive laici ſint, ſive Clerici, pro ſibi ſubditis civiles quidem leges ferre poſſunt, jus vero Eccleſiaſticas Leges condendi, ſolis Eccleſiæ Paſtoribus convenire exiſtimamus. Nec repugnat, uti in uno, eodemque Romano Pontifice Eccleſiaſtica, ac Civilis poteſtas reperiatur.

VIII. Cum juxta Sacros Canones cap. 9. *Juſtum diſt.* 9. *Juſtum ſit Principem legibus obtemperare ſuis*: Hinc Legislatores tam Civiles, quam Eccleſiaſtici, quoad vim tantummodo directivam propriis legibus tenentur. Illos vero, qui ſuis Laribus derelictis, alienam Provinciam petunt patriis legibus non adſtringi (niſi tamen extra ſuum Territorium exiſtentes, illius leges in proprio Territorio tranſgredi cenſeantur) ſed Provinciæ, in qua degunt legibus obligari fatemur.

IX. Conſuetudini, quæ jus non ſcriptum eſt, diuturnis Populi moribus, & cum aliquo legislatoris conſenſu introductæ legg. 32. 33. 35. ff. de LL. vis equidem ineſt, nedum novæ legis inducendæ, ſed legis etiam ſcripto latæ, tum explicandæ tum limitandæ, tum denique abrogandæ. Hac vero ipſa Conſuetudine, Epicheja, ſive Interpretatione, Tolerantia, Abrogatione, Irritatione, Diſpenſatione, atque Privilegio ex parte, vel totaliter, ad tempus, vel in perpetuum, leges vim obligandi amittunt.

X. Ab ipſa Diſpenſatione parum differre videtur Privilegium; ad cujus valorem, abſolutè loquendo juſta Cauſa, Scriptura, Promulgatio, ſeu Intimatio minime requiritur; non ſolum conſuetudine, aut præſcriptione acquiri poſſunt privilegia, ſed conceſſione, atque communicatione: nec interpetranda dicimus, niſi quando Concedentis mens obſcura ſit.

DE JURE PERSONARUM.

I. DUo ſunt in Eccleſia Perſonarum genera, unum Laicorum, Clericorum alterum; Laici, qui a Græca voce λαός, Populus nempe, dicuntur, negotia agere temporalia, uxorem ducere, cauſas pertractare, medici officio fungi, hiſque ſimilia poſſunt; Clericis vero, qui a κλῆρος ſors, nempe in ſortem Domini vocatis, hæc minime licent: Clericorum autem alii ſunt in altiori, ut inquiunt gradu, ac dignitate conſtituti, alii non ita: de utriſque, eorumque Iuribus ſermonem hic inſtituimus.

II. In-

II. Inter eos ; qui in altiori Dignitate ſunt conſtituti principem obtinet locum Romanus Pontifex: nec firmato a Theologis in ipſo tum honoris, tum juriſdictionis Primatui detrahit aliquid, aut officit VI. Concilii Nicæni Canon, cum ibidem de Patriarchico tantum jure agatur.

III. Ipſe eſt Romanus Pontifex controverſiarum fidei, ſupremus, & unicus Judex, ita ut ejus ex Cathedra definientis in rebus fidei judicium ante conſenſum Eccleſiæ, atque independenter ab omni Epiſcoporum Congregatione, ſeu Concilio infallibile ſit habendum.

IV. Majores Epiſcoporum Cauſas, in quibus de eorum depoſitione agitur *in prima etiam inſtantia* ad Romanam Sedem dicimus referendas; *cum ſpirituale fœdus conjugii, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum ſine illius auctoritate ſolvi non poſſit, qui ſucceſſor eſt Petri, & Vicarius eſt Chriſti*, Cap. *licet* de Tranſlatione Epiſcopi.

V. Pontificii quoque Primatus natura poſtulat, ut non ſolum Romanus Pontifex ſuprema Legum in Eccleſia univerſa condendarum Poteſtate gaudeat, quibus antecedenter etiam ad acceptationem, fruſtra obnitentibus Gallis, qui ſuas tuentur libertates, fideles omnes obligentur: verum etiam jus appellationis obtineat, quo Epiſcoporum Judicium recognoſcere, & de ipſis apellationibus ad Romanam Sedem delatis poteſt judicare: Hoc autem Appellationum Jus a Sardicenſi Synodo non eſt inſtitutum, ſed confirmatum, ac propugnatum. Earumque uſum Trullenſem Synodum in Oriente, & Sæculum VII. in Occidente anteceſſiſſe defendimus.

VI. Romano Pontifici etiam competit S. R. E. Cardinales creare: (de horum Inſtitutione parum ſolliciti,) quamvis Ordine, & Juriſdictione Epiſcopis in ſua Diœceſi inferiores ſint, dicimus tamen, Epiſcopis valde præferendos eſſe, cum Eccleſiæ Senatum conſtituant, & maximis gaudeant Privilegiis, ac in ſuis Titulis Epiſcopalem Juriſdictionem exercere queant, & demum ut Alexander III. in Concilio Later. III. ſtatuit, is cenſeatur, ac ſit Romanus Pontifex, in quem duæ ex tribus partibus eorum conſenſerint, Cap. *licet* de electione.

VII. Soli Cardinales dicuntur a *Latere Legati*, quorum tanta eſt auctoritas, & juriſdictio, ut non ſolum Regnorum, ac Provinciarum, ad quas mittuntur, Ordinarii ſint, ſed in eorum adventu, aliorum Legatorum Poteſtas ſileat.

VIII. Patriarchæ, qui velut *Patrum Principes* dicuntur tres a S. Petro fuere inſtituti, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, quibus poſtea IV. Sæculo Jeroſolymitanus, & ab Innocentio III. in Concilio Later. Conſtantinopolitanus, cui etiam poſt Romanam Sedem primum honorem conceſſit, additi ſunt: Hi ſunt Patriarchæ majores, præter quos etiam alii minores adſunt.

IX. Pa-

Digitized by Google

IX. Patriarchas ſubſequebantur Primates, qui potius nomine, quam re, & dignitate a Patriarchis diſtinguebantur, atque erant in Occidente Vicarii Summi Pontificis, in Oriente verò Patriarcharum.

X. Poſt Primates, & Patriarchas, ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conſlant Archiepiſcopi, qui etiam Metropolitani dicuntur: habent ipſi ordinariam in Suffraganeos, ſeu Epiſcopos Provinciæ non exemptos, Juriſdictionem cum poteſtate eoſdem etiam per Eccleſiaſticas Cenſuras compellendi ad propria munia obeunda; licet Juriſdictionem exercere non poſſint in ſubditos Suffraganeorum, niſi in caſibus expreſſis in Jure.

XI. Eccleſiaſticam Hierarchiam claudunt Epiſcopi, veluti Speculatores: quorum munus eſt de ſubditorum moribus inquirere, in gregem ſibi commiſſum ſedulo intendere, cum in propria Diœceſi ordinariam, & univerſalem habeant juriſdictionem; hanc autem juriſdictionem immediate habent a Romano Pontifice, licet Ordinis Poteſtas, ob quam Ordinarii ſunt Sacramentorum omnium Miniſtri, a Chriſto Domino immediate procedat: quidquid ſit, an novum Characterem in ſua ordinatione recipiat Epiſcopus, quod non definimus.

XII. Epiſcoporum Reſidentiam, ſicut & eorum, qui curam Animarum habent, non canonico tantum jure, ſed naturali, ac divino præceptam cum communiore ſententia dicimus.

XIII. De Chor-Epiſcopis magna lis eſt inter Doctores: illud vero indubium revocari non poteſt, eorum aliquos Epicopali ordinatione fuiſſe conſecratos.

XIV. Ad Electionem, quod pertinet, nos non latet, plebem prioribus Eccleſiæ Sæculis ſuffragium dediſſe, id tamen non ex jure aliquo divino, ut Heterodoxorum fert opinio, ſed tantummodo ex aliqua Pontificum indulgentia.

XV. Licet ex antiquo jure Metropolitis Epiſcoporum confirmatio conveniret, nunc poſt concordata ad ſolum Romanum Pontificem pertinet: ad quem pariter ſpectat eorumdem de una ad alteram Sedem tranſlatio.

XVI Juriſdictionem Vicarii Generalis non delegatam, ſed ordinariam recognoſcimus; quapropter ab ejus ſententia nullam ad Epiſcopum recognoſcimus appellationem.

XVII. Nunc aliqua de reliquis dignitatibus forent nobis exponenda, conſultius tamen ducimus de Religioſis, quandoquidem magis hæc ad nos pertinent, pauca dicere: Status Religioſus eſt *conditio vitæ immobilis tendens ad Perfectionem per obſervantiam trium Votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, juxta Eccleſiæ approbationem*. Poteſt quidem Romanus Pontifex aliquem de Monacho facere non Monachum, non tamen poteſt ſolvere ab obſervantia Votorum, eodem manente Monacho, ſeu Religioſo.

XVIII. Cum vero Religioſus Status perfectionis, ſit uti colligitur

ex

Digitized by Google

ex Verbis Chriſti, *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende &c.* tenetur Religioſus hinc ſub gravi ad perfectionem tendere.

XIX Et ſi per Paupertatis votum Religioſus minime capax ſit Dominii alicujus temporalis, licitum tamen credimus cum Superioris licentia peculium illud, quod *livello* vulgo dicitur ad neceſſarios, & honeſtos uſus.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

I. Rerum Eccleſiaſticarum aliæ Spirituales ſunt, aliæ temporales: prioris generis ſunt Sacramenta, *ſigna viſibilia Gratiæ inviſibilis, divinitus ad noſtram Sanctificationem inſtituta*. Extitere hæc in Lege Naturali, & Moſaica, ſaltem relate ad Parvulos: in Lege Evangelica vero ſeptem ea, nec plura, nec pauciora Trid. Synodus Seſs. 7. Can. 1. recenſet. Hæc autem omnia immediate a Chriſto Domino dicimus inſtituta. Tribus vero, obſignante Eugenio IV. in Concilio Florent., conſtant Sacramenta ſingula, Rebus tamquam Materia; Verbis tamquam Forma; ac Perſona Miniſtri: Verba tamen non ſunt meræ concionis, & promiſſionis, ſed conſecratoria.

II. In Miniſtro ad valorem Sacramentorum, intentionem virtualem ſaltem requirimus; ac irritum foret, ſi Miniſter habeat ſolum intentionem peragendi externum ritum, ac in ejus animo lateat deliberata voluntas, non faciendi Rem Sacram.

III. Sacramentorum omnium effectus eſt Gratia Santificans, quam ex opere operato cauſant; alter autem eſt Character indelebilis, quem imprimunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo; atque ſubinde nequeunt iterari; cum cætera, quæ ſuperſunt, iterari queant. Hiſce effectibus, peculiaris Gratia accedit, quæ Sacramentalis dicitur; & in quodam jure ad certa quædam actualia auxilia recipienda conſiſtit.

IV. De Cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione tria dicimus 1. potuiſſe ab Eccleſia inſtitui Ritus 2. fuiſſe pie, & laudabiliter iſtitutos 3. læthaliter peccare, qui Ritus eſſentiales, aut integrantes, aut accidentales cum ſcandalo, & contemptu: venialiter tantum, qui accidentales ſolum, ſine contemptu, aut ſcandalo, & in materia levi omittit.

V. Inter Sacramenta, principem obtinet loocum, nedum ordine, verum etiam neceſſitate, Baptiſmatis Sacramentum; ejus inſtitutio ante Chriſti Domini mortem eſt referenda; Materia remota hujus Sacramenti eſt aqua naturalis, proxima vero externa Corporis ablutio facta per aquam. Forma vero, iis verbis continetur: *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Citra quam expreſſam, diſtinctamque Trinitatis invocationem, irritum ſemper habuit Eccleſia quodcumque Baptiſma. Hinc, ne Apoſtolos quidem in ſolo Chriſti nomine aliquando Baptizaſſe cenſemus.

VI. Or-

Digitized by Google

VI. Ordinarius hujuſce Sacramenti Miniſter eſt ſolus Parochus; aut etiam ſimplex Sacerdos; extraordinarius vero quilibet homo viator: Nec ad ejus valorem, fides in ipſo Miniſtro requiritur; atque hinc validum eſt Baptiſma etiam ab Hæreticis collatum; nec rebaptizandi ſunt, qui de Hæreſi ad Eccleſiam veniunt, dummodo in collatione Baptiſmi forma, aut materia vitiata non fuerit. Senſit aliter Cyprianus, cui reſtitit Stephanus Romanus Potifex, qui licet excommunicationem illi minitatus ſit non tamen anathemate illum percuſſit. Plenarium Concilium, de quo Auguſtinus contra Donatiſtas, non Arelatenſe, ſed Nicenum 1. fuiſſe dicimus.

VII. Neceſſarium adeo eſt Baptiſmatis Sacramentum, ut nemo abſque illo, aut ejus voto, ſalutem conſequi valeat. Quapropter Parvulis, ante rationis uſum, Baptiſma conferre, & licet, & expedit. Imo probabiliter dicimus, validum quoque extare Baptiſma collatum Pueris in Materno utero exiſtentibus, dummodo aliqua ejus corporis pars abluatur.

VIII. Gratiæ in Baptiſmate receptæ, copioſiorem ad robur infundit Gratiam Confirmatio, quæ verum Sacramentum eſt a Baptiſmo diſtinctum. Hujus materiam proximam, in Manuum Impoſitione, ac Sacri Chryſmatis Unctione ſitam dicimus: Formam vero conſtituunt verba illa. *Signo te ſigno Crucis*: *confirmo te Chriſmate Salutis*: Ejus Miniſter Ordinarius, ſolus eſt Epiſcopus: Extraordinarius, Romani Pontificis diſpenſatione, ſimplex Sacerdos.

IX. Euchariſtia, tertium ordine eſt Novæ Legis Sacramentum: ratione tamen Auctoris gratiæ, quem in ſe continet, primum, & omnium Sacramentorum veluti finis: Inſtituta a Chriſto fuit pridie, quam pateretur: exeunte nempe luna xiv. ad ſecundas Veſperas, & inchoante xv. Quapropter Paſcha comedendo, præſcriptum a Lege diem minime antevertit, & in Azymo, non in Fermentato conſecravit. Non ita tamen azymo uſum fuiſſe, credendum eſt, ut hunc tantummodo voluerit eſſe neceſſariam hujus Sacramenti materiam. Ad ſubſtantiam quippe Euchariſtici Sacramenti perinde eſt, ſive Panis Azymus, ſive Fermentatus; in utroque enim valida conſecratio aſſurgit; quamvis tamen, neque Græcis in Azymo, neque Latinis in Fermentato, conſecrare liceat.

X. Sub duplici quidem ſpecie panis nempe, & vini, Chriſtus Sacramentum hoc inſtituens, Apoſtolis, atque ſubinde Sacerdotibus, conficiendum mandavit: Sicut autem pro prima ſpecie triticeum Panem determinavit, ita & pro altera, ſolum Vinum de vite, quod modica aqua temperari debere, Eccleſiaſtico tantum præcepto, urgemur. Nullum tamen hinc Divinum extat mandatum, quo Laici ad Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumendam obligentur: Quapropter Eccleſia, juſtis quidem cauſis, tam Laicis, quam Clericis actu non conficientibus, Calicis uſum interdicere, atque vetare potuit.

XI. Eſſentialia Verba, quibus Chriſtus Euchariſtiam conſecravit, & con-

Digitized by Google

& conſecrari juſſit, quæque formæ rationem habent, hæc ſunt: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Prolatis verbis hiſce, atque peracta Conſecratione, non permanet certe una cum Chriſti Corpore, & Sanguine panis, vinique ſubſtantia; ſed vi ejuſmodi Conſecrationis mirabilis fit, planeque ſingularis totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti converſio, quam aptiſſimo vocabulo, Ortodoxa Eccleſia, *Tranſubſtantiationem* dicit. Eadem Chriſti realis præſentia, in Altaris Sacramento, non manet ſolum, quando actu Sacramentum ſumitur, ſed tamdiu illam perſeverare profitemur, qnamdiu ſpecies panis, & vini incorruptæ perſiſtunt.

XII. Fucum equidem faciunt, divinoque juri adverſantur Heterodoxi, dum Euchariſtiæ conficiendæ poteſtatem ad alios, præter Sacerdotes, extendunt; quemadmodum & ſoli Sacerdotes illam conficere, & Fidelibus diſpenſare debent, & poſſunt. Licet minime negemus, poſſe etiam quandoque Diaconos, non ex ordinaria quidem poteſtate, ſed ſolo Antiſtitum juſſu, & delegatione.

XIII. Cum Euchariſticum Sacramentum, etiam Novæ Legis Sacrificium ſit, idemque impetratorium, atque propitiatorium, jure hinc offertur in Eccleſia pro Vivis, atque Defunctis; hujuſce tamen Sacrificii eſſentiam in ſola utriuſque ſpeciei Conſecratione reponendam eſſe cenſemus.

XIV. Per Pœnitentiæ Sacramentum, quod lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium eſt abſolute, omnia, & ſingula peccata non tantummodo dimiſſa declarantur, ſed vere, & proprie remittuntur. Hac de cauſa turpiter Montaniſtæ, & Novatiani errarunt, arbitrantes quædam eſſe peccata, quæ per Eccleſiæ claves nullatenus queant dimitti.

XV. Materia, *circa quam*, ut ſcholæ ajunt, hujuſce Sacramenti, ſunt omnia, & ſola peccata poſt Baptiſmum commiſſa; materia vero *ex qua*, ſunt pœnitentis actus, Contrictio ſcil. Confeſſio, & ſatisfactio.

XVI. Contritio, ut Tridentini Patres docent, Animi dolor eſt, ac deteſtatio de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero; quæque una ſufficit, & requiritur ad Gratiam in Sacramento recipiendam. Alia vero perfecta eſt, imperfecta eſt altera; poſterior hæc, quæ Attritio dicitur, concipiturque communiter, ex Gehennæ metu, vel turpitudinis peccati conſideratione, ſi affectum, voluntatemque peccandi excludat cum ſpe veniæ, bona quidem eſt, & ad ipſius Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponit, ſicuti nobis innuit Tridentina Synodus Seſ. 14. cap. 4. Ejuſmodi tamen Attritio, quæ concepta ſit ex metu Gehennæ, ut proxima diſpoſitio ſit ad ſanctificantem gratiam in Sacramento obtinendam, adnexum habere debet aliqualem Amorem Dei benovolum, qui Deum ipſum omnibus præponat; imperfectum vero, quique extra Sacramentum non juſtificet.

XVII. Confeſſio in Sacramentali Peccatorum accuſatione ſita eſt; ad quam certe, non ex Innocentiano quodam Invento, ut Novatores

effu-

Digitized by Google

effutiunt, ſed divino jure, & neceſſitate Medii tenentur omnes, qui poſt Baptiſmum in aliquod læthale peccatum prolapſi ſunt.

XVIII. Satisfactio jure, ac merito a Sacerdotibus exigitur in hoc Sacramento, non tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, ad infirmitatis Medicamentum, aliorumque exemplum; ſed etiam in præteritorum criminum vindictam, atque caſtigationem.

XIX. Sacramentalis Abſolutio, qua Pœnitentiæ Sacramentum perficitur, ex Chriſti inſtitutione, & Sacramenti natura, judicialis actus eſt; & quidem apud Latinos, nulla alia forma uſurpari poteſt, quam judicativa, hiſce verbis expreſſa: *Ego te abſolvo a peccatis tuis &c.*

XX. Sacra Unctio verum, ac proprium eſt novæ Legis Sacramentum, quod a Chriſto inſtitutum fuit, ac probabilius *immediate*, priuſquam Cœlum conſcenderet. Remota autem hujus Sacramenti materia eſt Oleum, non aliter, quam ex olivis expreſſum, quod ex Eccleſiaſtico tantum præcepto conſecrari debet, nec prætermitti ſine crimine poteſt: Proxima vero ipſa Unctio eſt, ſive uſus, & applicatio Olei.

XXI. Congruentior quidem videtur forma per modum deprecationis prolata; ejuſmodi eſt illa, quam in præſentiarum ſervant Latinorum Eccleſiæ: Miniſtrum vero hujus Sacramenti non alium eſſe, quam Sacerdotem, fidei dogma eſt; nec unquam Miniſterium hoc ab Eccleſia Diaconis permiſſum fuiſſe adverſus Launojum propugnamus.

XXII. Sacerdotes, quorum unus potis eſt ad conficiendum ejuſmodi Sacramentum, quique ſacro Oleo inungunt Infirmos, verba quidem proferre debent, quæ ſacramentalem formam conſtituunt. Hoc autem Sacramentum, ſolis baptizatis; iiſque adultis, vi morbi in magno vitæ periculo conſtitutis, conferendum eſt; quibus ſane peccatorum remiſſionem, alleviationem animi, reliquiarum cujuſvis peccati abſterſionem, quandoque etiam priſtinæ valetudinis reſtitutionem præſtat.

XXIII. Ordo, ſive Ordinatio ſumpta pro ritu, vel actione, qua ſacri inaugurantur Miniſtri, quæque in Eccleſia viget, Deumque inſtitutorem, auctoremque agnoſcit, verum eſt, ac proprium Legis Evangelicæ Sacramentum. Materia Ordinis Sacerdotalis, & Diaconatus, ſicuti etiam Epiſcopatus, ſola eſt manuum impoſitio. Forma vero Oratio illi adjuncta. Subjectum eſt ſolus homo baptizatus ad excluſionem Mulierum, quæ ſacræ Ordinationis ſunt incapaces. Miniſter vero ordinarius eſt ſolus Epiſcopus; ex delegatione vero quoad Minores Ordines, & Subdiaconatum, etiam ſimplex Sacerdos eſſe poteſt extraordinarius Miniſter: Ad Epiſcopi conſecrationem requiritur quidem plurium Epiſcoporum numerus; valida tamen eſſet Epiſcopi ordinatio, etiamſi unus tantummodo foret Epiſcopus.

XXIV. Matrimonium, cujus materia & miniſtri ſunt contrahentes ipſi, forma autem verba, quibus ſuum conſenſum exprimunt, Naturali, Divinæque Legi conſentaneum eſt; atque in Evangelica Lege, veri nominis

Digitized by Google

minis Sacramentum. Ad ejus ſubſtantiam nullatenus pertinet, ut Conjuges actu carnali commercio ſeſe cognoſcant. Validum pariter eſt, etiamſi contrahatur a filiis, Parentibus invitis, & reluctantibus: quemadmodum etiam illius validitati non officit, ſaltem in ratione contractus, abſentia alterius conjugis, dummodo tamen ejus conſenſus per legitimum Procuratorem exprimatur.

XXV. Matrimonii impedimenta ſtatuere ad Eccleſiam pertinet; licet poſſint etiam Civiles Poteſtates eadem firmare in ratione contractus tantummodo civilis: clandeſtina conjugia ante Tridentinum rata habebantur; poſt Tridentinum vero nedum illicita ſunt, ſed irrita pariter ac nulla. Illius vinculum perpetuum, ac indiſſolubile eſt, nec poteſt ejus nexus ob ſolam fornicationis, aut adulterii cauſam ſolvi; quamvis per profeſſionem religioſam alterius conjugis, ratum, & non conſumatum diſſolvatur: Polygamia ſimultanea, Lege Naturæ prohibita eſt, licet antiqui Patres immunes a culpa fuerint, plures eodem tempore ducendo uxores: ſolvitur tandem vinculum Matrimonii per mortem alterius conjugis; quo in caſu poteſt alter conjugum ad ſecundas Nuptias tranſire.

XXVI. Alteram partem rerum Eccleſiaſticarum, quæ res temporales reſpicit, paucis abſolvimus: Eccleſiarum conſtructio, ſi Cathedrales, aut Collegiatæ ſint, fieri nequit ſine Pontificis Romani conſenſu. Si Regularis vero ſit, aut Oratorium publicum ſola ſufficit Diœceſani Epiſcopi authoritas: earum vero conſecratio ad Epiſcopum pertinet. Diſceptationes circa immunitatem Eccleſiarum (ſive immunitas de jure tantummodo humano ſit, ſive de jure naturali, & Divino) pertinet ad Forum Eccleſiaſticum.

XXVII. Decimæ, quatenus ad ſuſtentationem neceſſariam Miniſtrorum, ſunt iuris naturalis; quatenus vero ad determinatam quandam rationem, juris tantummodo humani; ac proinde contra illas legitime præſcribi poteſt, dummodo aliquid non adſit, quod præſcriptioni officiat.

DE JUDICIIS.

I. DE illa nunc nobis Canonicarum Inſtitutionum parte foret agendum, quæ de Judiciis, tum civilibus, tum criminalibus pertractat, ſed ne in immenſum hæc excreſcat; dicimus tantummodo, nos conſiderare Perſonas, Rei controverſæ Materiam, Locum, ſeu Competentem Forum, Tempus Judicii, ac judicialis Proceſſus Formam; Sententiam, ejus Executionem, atque ab ea juridicam Appellationem, quoniam hæc omnia ad Judicii naturam pertinere videntur.

Diſputabuntur publicè in Eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe. Anno Domini 1762. Menſe Die Hora 21.

399.488

Digitized by Google